

hostiles insultus (uti & tota insula variis hinc inde monumentis excitatis) valide munitum.

Oresandia. Quarta & ultima insula est Oresandia, vel, ut alii volunt, Moeresandia, inter Scaldiam & Nortbevelandiam sita, sed huic propior.

Decem igitur in universum sunt Zelandiae urbes, pagi supra centum. Porro insulis, quas jam attigimus, variis locis interjacent aut adjacent planities herbidæ, quæ licet cinctæ aggreditibus, tamen ut plurimum è fluctibus exstant; quarumque ea conditio est, ut modo hinc avelantur & alio adjiciantur, & crescant decrescantque; ita ut nunquam in hisce partibus insularum cingendarum materies videatur defutura.

Scaldia. Scaldia, qui insulas hasce interfecat, in Vermanduis è geminis fontibus progressus, per Tornacum, perque Gandavum, reliquosque Flandriæ tractus diffunditur, ac mox Antwerpianum delatus, portum ibi insignem constituit: tum paulo longius progressus, bipartito cursu Brabantiam ac Flandriam à Zelandia discriminat: siquidem sinistra in Austrum contortus ac deflexus, Flandriæ oras ac litora persequiritur, alioque nomine insignitus, *de Honte*, à latratu & fremitu undarum, vocatur; quo per Zuytbevelandiam ac Walachriam in Oceanum patet aditus: dextra vero, relictis Brabantiaæ finibus, continuato cursu, servatoque veteri alveo, secundum Scaldiæ insulæ litora violento vastoque gurgite in Oceanum devolvitur, sine ulla nominis mutatione.

*De provin-
cia totius
regimine
politico,
cum olim,
tum maxi-
me hodie-
no.* Zelandia olim eundem cum Hollandia Comitem habuit, suis tamen legibus & institutis, neque alteri cuiquam provinciæ obnoxia; nisi quod interdum Flandriæ Comes non minimam illius partem delibavit, præsertim sub Diederico IV, Hollandiæ & Zelandiæ Comite; cui Balduinus insulanus Flandriæ Comes Walachriam abstulit, ut scribit Regersbergius; vel, ut Meyerus memorie prodidit, quinque insulas Zelandicas, Walachriam, Scaldiam, Suydbeveram, Nortbeveram, & Borsaliam; quæ tamen omnes postea ab Hollandiæ Comitibus recuperatae; totaque Zelandia post Iacobam una cum aliis provinciis ad Burgundos atque Austriacos pervenit. Deinceps Zelandia eandem cum provinciis fortunam subiit, & demum, excusso feliciter Hispani jugo, à suis Ordinibus regi cœpit; qui olim quidem tribus membris constabant; Abbatे nimirum S. Nicolai, ordinis Præmonstratensis, qui Middelburgi agebat, totius Ecclesiastici ordinis nomine; Marchione Veriæ, nobilitatis universæ vice; & urbium communitate. Nunc Ecclesiastico ordine abdicato, duobus tantum membris Ordinum comitia constant, nobilitate nimirum, & communitate urbium. Nobilitatem universam, uti olim, ita hodie, repræsentat Marchio Veriae & Flissingeæ, qui jam est Princeps Auriacus: communione Belgica.

tatem autem deputati urbium Middelburgi, Zirizeæ, Goefæ, Flissingæ, Veriæ, & Tolenseæ. Hi, & certis temporibus, aut quum necesse est, comitia publica celebrant Middelburgi, & summum provinciæ imperium moderantur. Præter hæc publica comitia, collegium est deputatorum, ut vocant, Ordinum, quod vii virorum liceat appellare: constat enim ex uno Nobili, quem Princeps Auriacus, Marchio Flissingeæ & Veriae, designat, qui illius vice sententiam dicit; & sex aliis, quos sex jam dictæ urbes delegant. Delegati autem hi fere perpetui sunt, secus quam in Hollandia, nisi quod delegatus Middelburgensis singulis trienniis munieris prorogationem teneatur postulare à senatu civitatis. Cæterum munus illorum fere idem est, aut parum ab Hollandorum instituto diversum; nimirum in eo, quod iidem etiam maritimorum rerum curam habeant, & in collegio deputatorum Admiralitatis adsideant. His autem, ab Ordinibus, adjungitur Pensionarius unus, itemque Secretarius. Est & collegium rationalium totius provinciæ, vii item viris ad eumdem modum constans.

In Zelandia, præter tribunalia in singulis urbibus, nullum est superius tribunal, sed à singularum urbium judiciis ad Senatum provinciale, & ab eo ad supremum Senatum (quorum uterque Hagæ Comitis sedem habet) provocatur; eodem quo in Hollandia modo. Sunt tamen in Zelandia duæ prænobiles Quæsturæ, quæ à Scaldi nomen sortiuntur. qui quum insulas has in duas veluti classes dividat, una quidem quæstura ciffcaldinæ insulas, altera transscaldinas complectitur: *Beooster* & *Bewester Sceld* vulgo vocant. Horum Quæstorum olim permagna autoritas fuit, cum prætoria quadam dignitate conjuncta. Sed hodie multum ipsorum muneri & dignitati decessit, præsertim præfecto *Beooster Scheld*: cuius jurisdictionem pene omnem Balivus Zirizeanus & Toletanus ad se traxerunt.

Leges Zelandicæ ab Hollandicis parum discrepant: neque est nostri instituti, speciatim discrimina hic rimari. Hoc tantum dicemus, quoad successiones ab intestato jus Scabini, cum vetus, de quo supra in Hollandia diximus, hic plene obtainere, licet nomen ipsis insuetum sit, adeo quidem, ut, quum apud Hollandos repræsentatio collateralium post fratum nepotes cesseret, hic in infinitum procedat.

De feudis quoque pauca adjungamus ex D. Frederici à Sande I. C. Commentario. Zelandica (inquit) feuda sunt vel mala, vel bona. Hæc ejusdem conditionis sunt cum Hollandicis, de quibus supra diximus. Illa ad hanc primam feudorum classem pertinent. Nam per vasalli cuiusque sine liberis masculis decedentis mortem domino committuntur. Ea tamen in re hōrum Zelandicorum quam præcedentium feudorum

Yy beni-

*Indicia &
Tribunalia.*

*Leges quæ-
dam.*